



Disputatio medica inauguralis de suppressione mensium

<https://hdl.handle.net/1874/345239>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE

SUPPRESSIONE MENSUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicus Consensu, & Nobilissima

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &
Privilegiis, rite & legitime consequendis,

Publico examini subjicit

ARNOLDUS WIERMANN, LEMGOU. WESTPHAL.

Ad diem 20. NOVEMBRIS, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiac
Typographi, clc xciiii.

V I R O
SPECTATISSIMO , INTEGRITATE
ET GRAVITATE CONSPICUO ;

D O M I N O
GEORGIO MUSMANNO.
MERCATORI apud HAMBUR-
GENSES FLORENTISSIMO.

Hospiti olim suo æstumatissimo ,
DN. Fautori , Benefactori , debito ob-
servantiae & honoris cultu nunquam
non suspiciendo.

*Specimen hocce Academicum ; ut tesseram grati
animi , beneficis innumeris obstrictissimi , cum
felicitatis omnigena , vigorisque tum animi ,
tum corporis diu pèrennantis voto ardentissimo ,
officiosa & gratia manu*

Consecrat atque offert

A U C T O R .

PRO O E M I U M.

MUlierem omnem bis pati morbum, elogium est
Helmontianum, doctum non minus, quam verum.
Illa etenim non tantum, quatenus homo est, cor-
ruptam naturam & corpus fragile habens, cun-
das fermè cum viro pœnas sustinet, & miserias
communes habet; verum etiam ob uterum, qui
a Platone animal furiosum, in varios furores se ipsum concitans,
vocatur, & instar peculiaris, seu tertii hominis esse, à Paracelso
reditur, proprias & horrendas quotidie perferre cogitur. Scilicet
ex hoc, tanquam ex equo Trojano reconditas morborum & sympto-
matum myriades monstrosas, ferneas, & sepè numero Herculeā
etiam clavā insuperabiles profilire, Oraculum illud Coum divina-
rum est, ubi partem illam, cuius uirio tam sepè agrotare solet,
(uterum intellige) non absque causa πάντων τῶν ρευμάτων ^{lib. 2. de} Morb. Mul.
τιαν, omnium morborum muliebrium causam audacter pronuncia-
re sustinet. Non hic locus est, recensere omnes morbos ac sympto-
mata, quorum mater fidelis existit: instar omnium, & reliquo-
rum basis esse poterit ipsa **MENSIA SUPPRESSIO**, Sympto-
ma uteri sane non levissimum. Si enim unquam, certè tunc, quan-
do in solvendo hoc lunari tributo illud natura arvum est seginus,
tanquam Trojanus equus plurimorum affectum iliada alit, qui
postmodum tyramidem suam non in miserandi sexū solum conser-
nationem exercent, sed Medico etiam ob atrociam multum faces-
sunt negotii. Cum igitur hinc clareat, non superficiarium hoc esse
malum, sed penito in recessu diversos implicare morbos; in eo con-
siderando, dum specimen **Inaugurale**, ad iussum Gratiosissima Fa-
cultatis Medica, mihi edendum est, vices ingenii, tumultuaria
quamvis methodo, calamoque volante, experiri decrevi, excussa
Naturā cum ejusdem Causis, quibus Medicis ipsi sit contracundum,
ostensurus. Faxit DEUS Ter Optimus, Ter Maximus, ut hi
ceterique conatus mei sub Ejusdem Gratiosa Directione ad opta-
tum, quem sibi proposierunt, deducantur scopum.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SUPPRESSIONE MENSUM.

§. I.



Rius autem, quam in affectus
hujus realem considerationem ple-
nis, quod ajunt, velis tendam,
operæ pretium fore existimo, ut
nomenclaturam ipsam levi tan-
tum brachio attingam, deque
menstruâ purgatione generatim
pauca præmittam. Scilicet Men-
ses, seu *μεταμύνα* Græcis, à
mense, non tamen solari & civili, quam lunari dicti, humanæ
speciei, & sexui sequiori unicè competunt, vel ordinariè sal-
tem & præcipue; notantque illam cruris evacuationem, per
genitalia contingentem, quam foeminae ac pueræ eâ statim æta-
te, ubi mammae primum elevari ac sororiari incipiunt, & quâ
ad muliebris patientiæ leges suscipiendas sunt aptæ, patiuntur,
singulis dein lunæ circuitibus, & intra mensum talem, seu vi-
ginti octo dies circiter ordinariè (nisi utero gerant, vel infan-
ti potandas ferant manimas) recurrentem, usque donec hebe-
scenti senectute repagulum iterum in corpore vetularum, fi-
nesque natura sanguini ponat. Et quamdiu hoc modo pacatè
mensis effluunt, tantum abest, ut venustam corporis & mem-
brorum compositionem (cæteris paribus) tot ægritudinibus
exponere debeant; quin potius omnium partium exactissimam
proportionem & dispositionem ab omnifariâ morborum tyran-
nide illibatam præservare possint. Sed calamum diutius in na-
turale hoc fluidum non immergam, cum in præsentiarum cum
præternaturali foeminarum statu mili res sit, in hoc autem sub
alio MENSES schemate, & ut in totum sunt suppressi, ve-
niunt considerandi, dum ultra tempus debitum, & diutius

quam

quam par est, lunare illud debitum suspenditur, ad quod ipsis extorquendum atrox ærumnarum phalanx postmodum sese sistit. Græcis dicuntur ἡ τῶν ἐμπίνων ἐποχὴ, mensium diuturnior lib. 28. Ob- retardatio, & Foresto flores & tempora p. n. suppressa. Ut ut servat. 3. vero Mensium hæc "Suppressio sumatur etiam latè aliquando, pro mensium emanatione, alii quoque pauciorem eorundem fluxum hic referant, propriè tamen magis & strictè contradi- stincti sunt Menses Suppressi, emanentes & parcè fluentes.

§. II. Prælibatis sic iis, quæ ad nominis enucleationem facere videbantur, merito ordinis lege ad definitionem hujus intricati affectus realem me converto. Quanquam autem à variis variè eadem traditur, in sequenti tamen, quæ ejus naturam rotundè explicabit, acquiescere constituo. Scilicet Mensium Sup- pressio, est totalis menstrui sanguinis, in fœminis justæ etatis, sanguinis mensibus alias semel & ordinariè fluentis, p. n. cessatio, à con- stitutione p. n. uteri, vel ipsius sanguinis, aut vasorum virtus origi- nem trahens, varia eaque gravia in corpore excitans incommoda.

Generis vicem constituit p. n. cessatio, putoque sufficienter hoc ipsum declarare, ad quam rerum p. n. classem sanguinis hæc menstrualis stagnatio sit referenda; scil. ad symptomata actionis lese, vel potius plane aboliæ: uterus enim, qui, quod inutile & superfluum restat, evacuare debet, ob causas infra recensem- das, ab opere suo feriari cogitur. Dein, retentorum quoque lib. de dif- symptomatibus non incepè annumeratur, præente Galeno, cum, ferent. quod pacatè effluere, & per tres, quatuor, quinque vel sex cap. ult. & dies naturaliter excerni debebat, in non leve corporis damnum lib. 3. de caus. sym- atque detrimentum p. n. retinetur. ptom. cap.

§. III. Præter naturam hanc contingere Suppressionem, 4. quo ipso non promiscue quamvis intellectam, sed carentiam mensium naturalem ab eorum Suppressione p. n. distinctam vo- lo. Notum enim est non quascunque menstrui sanguinis Sup- pressiones cum detrimento atque jacturâ sanitatis fieri, sed ali- quas eâ ratione esse comparatas, ut vel secundum naturam con- tingere dici mereantur, v. g. in gravidis, nutribus lactanti- bus, quibus ordinaria & plerumque peculiaris est; utpote in quibus sanguis, dum eodem fœtus nutriendus, aut lac exin- de generandum est, in fines suos absorbetur, adeoque super-

DISPUTATIO MEDICA.

Apud Sen-fluus, & per consequens nocivus & morbosus non existit.
nerv. Pr. Sic obvia etiam sunt exempla ejusmodi fœmellarum, quæ pur-
lib. 4. part. gamentorum horum ignaræ, manente tamen sub munditate hâc
2. f. 2. t. 1. ipsarum sanitate & fœcunditate illibata; qualeque in fœminâ
quaſſ. 1. Panaroll. honestissimâ pariter ac nobili, sex liberorum matre, testatur
penteſ. 1.
Observ. 15. *Excellentissimus Bohnius*: ex quorum forsan numero sicut etiam
Tim. lib. 4. illa, *apud Platerum*, benè habita, formosa & sanguinea mu-
cas. 7. llicr, nullis unquam menstruis tentata, nec incommodum ul-
In Circul. lum inde passa. Sed historiarum jam satis, plures qui volet,
suo physiol. adeat gynecæa Medicâ industria exstructa, ubi passim hujus fa-
 rinæ adhuc mirandas adinvenire ipsi licebit. Mihi interim sufficiat,
 brevibus indicâsse, naturalem mensium absentiam omni,
 aut ad minimum graviori periculo vacare; p. n. vero nunquam
 absque insigni noxâ contingere.

§. IV. Positis hisce, de Subjecto inquirendo, ut sollicitus
 nunc sim, necesse est. In ejusdem vero evolutione calamum
 mihi abs quæſtione istâ, An mensium fluxus, eorumque ad eam
 Suppressio, simiis etiam competit, nec ne? remorari non
 patiar, cum sint è familiâ brutorum, adeoque nostrâ curâ at-
 que arte indignæ, contra licet sentiente *Jacobo Zabarella*.

Ut proprius igitur ad rem accedam, meo quidem judicio
 non erravero, si illud melioris ordinis gratiâ dispescam in *Ge-*
nerale, *Speciale*, & *Specialissimum*. Ex superius datâ defini-
 tione jam apertè liquet, Fœminas, prout latiori significatu,
 Virgines pubescentes, & ad matrum officium expediendum
 idoneas unâ includunt, in genere id ipsum constituere. Etenim
 indubitatum est, affectum hunc esse fœminis præ viris pro-
 prium. Sint licet aliae hæmorrhagie utrique sexui communes,
 v. g. hæmorrhoides, quarum fluxu, & hinc etiam Suppressio-
 ne non faro, non minus laborant fœminæ, solus tamen littoralis
Testibus hic sanguinis motus ejusdemque quies fœminis familiaris
Hippocrate, est, illisque solis competit. *Speciale* sibi vendicat Uterus, fer-
Schenk. tilis ille alias naturæ ager, serendis & plantandis hominibus de-
Sennert. stinatus: hujus partes & constitutionem naturalem ex Physio-
Ettmull. logicis latius repetere, minus hic necessarium duco, sed relé-
aliisque. gata Uteri ad Anatomicos descriptione, paucis indicâsse mihi
 satis sit, ad promovendum generationis opus, naturam Ute-
 rum

rum pluribus instruxisse vasis sanguisfluis, & hæc ipsa *Specialif-*
simum Subjectum adumbrare pro indubitato habendum, qua-
tenus tot ac tantas calamitates progenerare apta nata, & à variis
causis, vel obstructa, oppleta, vel quocunque tandem modo
coarctata purgationi menstruæ liberum transitum denegant.

§. V. Commune nunc quidem omnibus Auctoribus dogma
est, Uterum cum suis vasis hic affici, sed quænam hujus pars
præcipue veniat inculpanda? dum quæstio emergit, magna
mox inter Auctores oritur disceptatio. Sunt etenim, qui fundum
Uteri accusant, & ab arteriosis tubulis euudem perre-
ptantibus, debitum lunare tributum exigunt: sunt qui eosdem
absolvunt, solis venosis menstruum hoc vestigal rigorosè ex-
torqueri cupientes. Ita *Vesalius* strenuè contra venulas, in fun-
di superficiem terminantes, militat, inque iis communem va-
letudinis hostem jugulare cupit: alii contra in Uteri cervice
oppugnare eundem maximè allaborant. Abundet per me qui-
libet suo hâc in re ingenio; saniori interim ratione ii videntur
mihi agere, qui, huic contentionis serræ manus auxiliatrices
haud porrigentes, tâm fundum uteri, quâm ejus cervicem,
vasaque in iis tâm arteriosa, quâm venosa, pro affectâ parte
agnoscunt, non definientes, utri illorum generi primæ sint de-
ferendæ, aut neutrum vasorum alteri præponentes. Miror *Mul. Org.*
interim, Vaginam hic à non paucis intactam relinqui, ex quibus *p. m. 256.*
unum *Graafium* nomino, qui illam planè immunem ab hoc
vestigali pronunciat, & non nisi citra naturæ ordinem illi im-
poni id ipsum credit. Cum ego potius aliorum auctoritate *Conf. Ex-*
ductus crediderim, non minus hanc quandoque principaliter *cellentiss.*
affici. Non dicam de coitu fortiori, à quo *Obstructio* & *Bohn. Circ.*
Suppressio talismodi non raro tollitur, ita, ut fluxu ordina-*Physiol.*
rio & naturali perluantur, frictu scil. fortiori obice deposito,*p. 244.*
quod *Pechlin.* historiâ non vanâ confirmat.

§. VI. Detectâ sic breviter hujus affectûs sede, ordo me
invitat ad Causarum enodationem, utpote in quarum accura-
tiore cognitione cardo felicioris Curationis potissimum versatur,*Lib. I. de*
morb. cauf.
testante sic *Fernelio.* *cap. II. p.*
m. 360.

Immediatam igitur quod concernit Causam, petenda illa
non tâm ex solâ obstrukione vasorum, quam à fermentatione

& tur-

3 DISPUTATIO MEDICA

& turgescentiâ sanguinis deficiente ; salvâ aliorum Medicorum procerum mente , qui eandem ab archei uteri monarchalis segnitie , & facultatis expultricis frustratione derivant , quatenus officio suo fungi , illudque quod expellendum erat , removere nequeant.

§. VII. Causæ Mediatæ Proximiores , quæ maximè in scho-
lis medicis præ aliis causis attendi merentur , evolvendæ nunc
erunt , & quidem deducendæ veniunt illæ juxta affectus §. 2.
descriptionem , à sanguinis , uteri , ejusve vasorum vitiosâ con-
stitutione . Hic enim reperire licebit , quod turgescientiam il-
lam turbare , motrices fibras lacerare , vasa obstruere , eorum-
que tonum destruere aptum est natum . Non incongruum hinc
erit illas dñspescere in *Communes & Proprias* . Communes fovet
ipsa sanguinea massa , quatenus ipsa vel *quantitate* vel *qualitate*
minus rectè sese habet . Sanguis enim , si nimius adsit , &
quantitate excessivâ peccet , vasa præter modum extenduntur ,
potentia contractoria seu expressoria , oneri ac moli expellen-
dæ alias proportionata , debilitatur , & fibræ horum organo-
rum excretiorum , à copiâ humoris excernendi , extraordinariè
distenduntur ac obruuntur , ita , ut atoniam contractæ
impares reddantur ad hanc faburram ejiciendam , sed contentos
liquores retinere cogantur , sicque plethora sibimet ipsi in vasis
& porulis viam præcludere potest . Non levis autem difficul-
tas hanc assertionem premere primâ fronte videtur , cum non-
nulli , uti constat , nominatim *Helmontius* , in eâ sint persua-
fione , ac si sanguis nimietate peccare haud possit ; sed tantæ
eorum rationes non sunt , nec ullum efficax argumentum vi-
deo , ut propterea digrediar à receptâ per plura secula , & quo-
tidianâ experienciâ stabilitâ sententiâ . Ratum itaque sit potius ,
plethora in sc̄eminis s̄æpe numero causam esse mensium resti-
tantium , & plenitudinem posse obesse excretioni sui ipsius .
Possibilitatem hujus phænomeni , præter duplēm *Riverii* ex-
perientiam mechanica demonstratio confirmat ; illustrat quoque
eandem simile quoddam , à re tamen præsenti haud absimile ,
à fibris vesicæ motricibus , ex urinæ cumulatione justo majo-
ri distensis , petitum . Ut taceam testimonium illud *Coi* ; *San-*
guis , cum abundat , valetudinem vitiat .

Cent. 1.
Obseruat.
1. & 2.

§. VIII.

§. VIII. Eundem planè effectum notamus quoque in defec-
tu sanguinis, & si parcior sit in corpore. Nam uti nulla sit
mensium eruptio, nisi plethora adsit respectiva, ita fluidum
illud undecunque absumptum vel depauperatum ὀργασμὸν re-
cipere non æque potest, & oceanus hic microcosmicus, quan-
do non abundat, ut exundet tamen, vel alveos suos transgre-
diatur, impossibile est. Quæ ratio inter alia esse poterit, cur
in vetulis communiter cesseret circa annum quinquagesimum hæc
effusio, quarum quippe corporibus ejusmodi eâ ætate conti-
gisse videtur sanguis, ut in hoc & aliis ejus paucitas nihil ha-
beat superflui, quo carere possit: ex quarum etiam aridurâ,
& cum sufficienti vase humido non inflantur & irrorantur, fa-
cillimè fibrarum siccitas, flacciditas & atonia, parietum ap-
proximatio & collabascentia nedum occallescentia exoriri etiam
poterit. Quod ipsum tamen, non ad solas applicare vetulas
convenit, sed ad juniores etiam, & quæ adhuc sub imperio
Lunæ sunt, foeminas, quas eadem utique paucitas in solven-
do ipsi tributo seigniores reddere potest, dum hujus vitalis the-
sauri multis modis depauperatae, vix tantum quandoque hu-
midi habent, quod extra graviditatem quidem, in sui ipsius,
præsente gestatione vero in proliis commodum & alimentum
sumant: tantum hinc abest, ut Lunæ depositum ipsis grave
esse possit; quin potius corpus suum exsuccum, tali ferendo
oneri impar subtrahant, per multos sèpè annos, si non sem-
per, eædem manentes, ac si muliebrem quoad hoc exuissent
naturam.

§. IX. Præ jam dictis tamen, & ceteris aliis omnibus, ma-
jorem considerationem meretur Cacochymia, seu sanguis qua-
litate peccans, uti enim plurimorum ac gravissimorum mor-
borum ferax, ita & huic malo existit fomes pinguis, quando
scil. ita vitiatus, ut nihil continetur in vasis, vel pars maxima
conteitorum nihil sit, præter liquidum pituitosum, plus mi-
nus viscidum, frigidum, acidum, aliudve simile admixtum,
ad turgescentiam menstruam planè ineptum, grossum, ter-
reum, tartareumqne, quoconque tandem modo in ipso gene-
ratum, quod naturali fluiditate amisit, ad fluxum minus fa-
cile, naturæ regimini vix, aut planè non auscultat, sed suc-

cessivè ad uteri vasa ac porulos , sanguinem alias naturaliter plorantes, dilapsum, ad eosdem magis subsistit, ac limositate, crassitie, ac mole suâ angustias has ita replet ac infarcit, ut reliqua liquidæ , & ab ipso separabiles partes , minus facile secerni, aut ex oscillis in uterus , aut ejus partes affines deplure possint.

§. X. Detectis & lustratis Causis communibus, in *proprias* jam quoque inquirere necessum erit , quas adinvenire erit facile , si paulo penitus ipsam Uteri substantiam inspiciamus, ubi occurrit viarum in ipso angustiæ , & tam adduentium, quam emitentium sanguiferorum vasorum , ut & pororum ac orificiorum indispositiones variæ , sive sint naturales , sive adscititiæ , vel ab internis causis , vel externis erroribus producuntur. Quo spectant scirri , tubercula , pinguedines , cicatrices , & tumores comprimentes alii , ut & ipsa pudendorum

Prax. lib. 4. p. 1. c. 3. Observat. p. 246. Observ. chirurg. p. 114. 118. p. 121.

externorum clausura , qualem annotavit *Sennert.* aut quem in uteri ostio externo observavit *Platerus*, totalis coalitus: item, quando obex quedam in ipso vaginæ canali est posita , qualem reperit ibidem *Roonbys.* aut ubi osculum uteri interius membranæ sive tegmine obtenditur , quale ab eodem *Roonbys.* fuit deprehensum atque annotatum.

§. XI. Exhaustis sic rudi & obtuso Calamo Causis Mediatis Proximis , ad Remotas leviter eundem jam dirigo. Tres autem harum constituendæ Classes , rerum scilicet *Naturalium* , *non-naturalium* & *præternaturalium*. In priori Classe *Sexus* primo loco occurrit, sed cum vocitetur Mensium Suppressio , & jam supra §. I. & IV. affectus audiat uteri vulgaris & proprius, uterus vero distinguat foeminas à viris , non est , ut plura de eo in medium hic afferantur. Ob eandem rationem siccico iterum hic calamo *Ætatem* prætero , cum itidem in dictis §§ de eadem mentio sit facta. E *Temperamentis* frigida & humida seu phlegmatica , ut & sanguinea corporis temperatura maximè huic malo est obnoxia , prior , quatenus crassorem ac tenaciorem , pituitosum ac viscidum sanguinem gignit, lento motu gaudentem , uterique facillimè vasa obstrucentem: posterior , quatenus ad plethoram & humorum abundantiam disponit , vasis postmodum onerosam.

§. XII.

XII. In secundâ Classe, ex *rebus scil. non naturalibus*, quæ Causæ Remotiores existunt, & in quarum potestate est, corpus humanum de statu naturali & sano, in præternaturalem & morbosum dejicere, primum locum tenet *Aer* nimii frigoris gradu corpus ambiens, inque id ipsum fœse ingerens, quatenus orificia vasorum & fibras nimis constringit, illorumque officia perturbat, corporis poros, exclusioni seri superflui dicatos, ocludit, & sanguinem incrassando & condensando, inter circulandum dictis in partibus ad *sædæ* disponit. Idem subitanum, incautum, & diurnum partium refrigerium, sive id per lavationem corporis ex frigida, sive per immersionem per *Conf. Fo-*
refl. lib. 28.
dum in ipsam, efficiatur, sequi solet, imprimis instantे vel *Clariss.*
durante mensum fluxu; de quibus passim exempla apud *Au-*
D. Deck.
ctores fide dignos prostant non contemnenda. Non tamen *Exercitat.*
propterea siccum nimium & immoderatè calidum aërem hic *suarum*
immunem pronunciabo, quippe hic poros partium enormiter *p. m. 442.*
& 556.
recludendo, non solum sanguinem versus ambitum corporis rapit, sed & serosam ejus partem, quæ in primis fluxilitatem ei præstat, sitiens absunit. Sunt, qui & eundem incusant, non tantum à Sole, sed & ab igne operto & clauso astuantem, quando scil. fœminæ ex pravâ consuetudine aëris frigidi inlementiam temperare, suppositis ventri inferiori prunis hyemali tempore, satagunt, unde uterum exuri & menstrua exsiccari dicunt, ut videre est apud *Roderic. à Castro.* Sequuntur *Ci-*
bis & Potus, obstetricantem non minus huic malo porridentes manum: speciatim cibi crudiores, frigidi, copiosius & crebrius ingesti, dyspepti, concoctu difficiliores, quales sunt carnes, è majori animalium familiâ, fumo induratae, pisces marini exsiccati vel muriati. Par ratio est viscidorum omnium, alio-
Vid. Tim.
rumque eduliorum, fructuum horariorum, melonum, cucu-
à Guldenk.
merum, & in primis lacticiniorum. Tantum enim abest, ut *l. 4. Cas. 8.*
hæc esculenta ventriculus debito modo resolvat & extrahat, *Celeberr.*
quin potius crudiorum indigestamque molem, ac largum visci-
D. Deck.
dorum humorum proventum in sanguinem transferat; sicque *Exercit.*
p. 513.
obstructionum plurimarum, speciatim & hujus, juxta *Barbett.*
fons & origo dici possit. Noxia in primis vis hic etiam notari
meretur coagulandi, quæ ex aceto, subacidis aliis, austeris,
acer-

*Conf. ite-
rum lau-
dat Deck.
p. 558.*

acerbis, stringentibus, v. g. mespilis, cydoniis, prunis sylvestribus, ribesii immaturis, avidè diuque usurpati &c. oritur, promptissimè enim hæc sanguini permixta eundem in grumos cogunt, unde, si non planè subsistere in canalibus cogitur, motus tamen maximam partem sufflaminatur. Quibus denique medicamenta vehementer refrigerantia & adstringentia, vel internè assumpta, vel externè applicata, sunt subjungenda.

De Potu experientia non sinit sperare meliora, præsertim si prægelidus infundatur æstuanti pectori, nimioque motu valde defatigatis visceribus, & hoc tempore menstrui fluxus. Exemplum lectu dignum proponit *Galen*. Quem potum frigidum &

*Lib. de V.S.
adversus
Erastrat.*

Langius in menstruatis maximè damnat, ut, quibus nihil nocentius ipso, quando scil. hujus fluxus hæmorrhagiam exspectant. Ut taceam absurdam quarundam muliercularum religionem, quæ genio & sanguini suo sufficiens fluidum quotidie detrahunt, & sic ad focum hunc ignem apportant. Quid

Motus & Quies in producendo hoc malo valeant, prolixâ non indigere explicatione puto: uti enim nimia exercitii vehementia humorum est maxima deprædatrix; ita rursus nimia tranquillitas & vita supra modum otiosa humorum viscosorum excrementiorum fœcunda genetrix atque cumulatrix, ut ex utrâque hæc causâ, sanguis per vasa uterina fluere reddatur planè ineptus. Haut absimili quoque cum his modo *Somnus* ac *Vigilia* affectum hunc producere possunt. *Excreta* quoque ac *Retenta*, si non sint naturalia, huc facere videntur; scil. si illa, quæ excernenda erant, retineantur, aut quæ retinenda erant, intempestivè excernantur, quo spectat inconvenienti tempore, & frequens instituta V. S. (quæ in nonnullis foeminiis maximè culpanda, quæ Medico inconsulto, quoties rapit impetus, venas Chirурgo, fluentibus licet mensibus, nec tamen indicato ægritudinis statu, secandas præbent) aut sponte accidens sanguinis per alias partes depletio. Ultimum ex rebus nonnaturalibus adhuc restat, sed facile præcipuum, Animi nempè ~~admodum~~, immodicus v. g. timor, terror subitaneus, tristitia summa, assidue curæ, affectus, quod plurimis posset exemplis probatum dari, sanguinis turgescentiæ summè infesti. Non semel enim à Practicis observatum est, menses fluentes

*Epist. 51.
lib. 2. p. m.
728.*

inopi-

inopinato terrore incusso, exemplò substitisse, aliis per aliquot menses, aliis per omnem vitam. Ut compendio agam, unicum tantum ex Hippocrate huc traham, qui observavit ex 6. Epidem. mœrore & assiduis curis menses multo tempore, imò ad ultimum suspirium suppressos in uxore viri cuiusdam exulantis, 823. fine p. m. priori quidem tempore secunda. Alterum ex mariti obieu-
gi poterit apud supra citatum Decker.

§. XIII. In tertia, & præternaturalium rerum Classe denique varii morbi sunt, qui miseris foemellas hoc in morbi genus præcipites dare possunt, v. g. febris hectica, febris ardens, dysenteria, ulcera & vulnera, ac plures alii.

§. XIV. Ad Diagnosin hujus affectus jam transeo, quæ scil. ad exactam gravissimi hujus mali cognitionem summè necessaria est. Non autem omnino illa est difficilis, modò in ægrotantes, ingenuè & liberè suas ærumnas consitentes, incidamus. Verum, cum ut plurimum fæminarum cœtus ex intempestivâ quadam verecundiâ & præpostero studio cavere soleat, ne hæc sua, quæ circa genitalia, & eorum sacra contingunt, arca- na nobis innotescant, ut quorum conscientiam sexus ille si- bi reservat, non facile Medicis in testimonium rei yo- catis; cogimur insuper, ex aliis documentis, quibus sese facile alias prodere solet hic affectus, argumenta nostra desume- re, quæ potissimum in respiratione difficiili & anhelosâ, inter- dum, (si mensium tempus immineat) cum suffocationis me- tu, fortius paulo moto corpore, totius corporis languore, gravitate pedum, pulsatione & tensione lumborum, dolore dorsi & capitis, inflatione ventris, anorexiâ, horrore inordi- nato, in calorem præternaturalem desinente, & vomitu jam pituitoso, jam bilioso apparent. Hæc & alia p. n. & morbif- cam Mensium suppressionem, à naturali illâ, quam gestatio- præstat, non difficulter distinguent, nec Medicum existimatio- ne & suâ famâ cadere facile sinent; ut in hæc, ex simplicitate fœcunditatem uteri ignorante, abortum procreet, vel in illâ, loco menstruorum furtivè susceptæ Veneris præmium intem- pestivè ejiciat, modo personarum ægrotantium conditionem vitæque genus simul perpendat, postmodumque ad dicta sym- ptomata probè attendat, num gravia & plurima horum ad sint.

DISPUTATIO MEDICA

& sensim sensimque augmentum ex retentâ materiâ sumant, cumque redeunie de novo Lunâ eodem semper ordine, nec minore crudelitate eadem recurrent, quod si fiat, in veritate suarum conjecturarum confirmabitur, adesse nempe p. n. Mensium suppressionem. Si vero per semestre, aut aliquot menses conquestæ sint de suppressione hâc, de antea dictis autem symptomatibus nihil sciant, aut si quæ adsint, indies magis decrescant, & præterea color adhuc vividus, de Uteri pondere & fœcunditate conjecturari licet. Signa Causarum dabunt ægræ temperamentum, habitus corporis, victûs & vitæ genus, aliaque, quorum superflus mentio sicut facta.

§. XV. Ad Prognosin denique quod spectat, formare illam cuiilibet ex antea dictis incommodis equidem facile esset, verum instituti postulare videtur ratio, ut singulari etiam explicitur paginâ. Non obstantibus autem iis, quæ in limine, §. scil. 3. huius Disputationis infui, quod in quibusdam fœminis, perpetuus Mensium defectus, permanente istarum valetudine integrâ, observatus apud nonnullos Practicos legatur; non leve tamen corpori cudit periculum, præterquam enim, quod §. precedenti inculcata symptomata producat, plurimorum ac graviorum aliorum morborum sedulus faber existit, testante sic magno Hippocrate, præsertim, quando sanguis in Uterum incumbens, si vias reperit minus idoneas, necessitate quâdam in alias partes nobiliores & rarioris texturæ regurgitare cogitur. Sic sâpe ebulliens in vasis, & ab Utero exire nesciens, maximo in pulmones impetu despumat, illisque tussim & difficilem respirationem adportat, non sine tabis meus. Alio tempore Cerebrum aggreditur, unde Epilepsia, Apoplexia, Mania, & Melancholica insanias, quam posteriorem bis ex hâc causâ observavit sâpè laudatus D. Deck. Quandoque & genus nervosum ad motus convulsivos & spasmodicos concitat, quod mihi observare contingit, in virgine quâdam, pietate & castitate non minus, quam reliquarum virtutum dotibus conspicuâ. Quas labes & ipso Utero stagnando affricet, non minus in Practicorum monumentis consignatum est. Notatu digna est observatio, atque hic interseri meretur, quam habet Fabr. Hildan. de muliere quâdam, quæ suppressione Mensium diuturna extincta, post mortem

§. Aphor.
57.

Juxta te-
stimon.
Salmuth.
Cent. 2.
Observ. 18.
Vid. Ejusd.
notas Prax.
Barbett.
annexas.

Cent. 2.
Observ. 62.

mortem cultro subjecta anatomico, ostendit colli matricis in-^{Observ. 64.}flammationem, & de alia, quæ gangrenam in eadem parte spe-stantibus exhibuit. Plura qui desiderat pathemata quorum omnium causa existit, evolvat *Hippocrat. Doleum, in primis vero magnum illud Schenckii opus.* Notandum interim, non omnem spem recuperandæ sanitatis indifferenter ægræ esse præ-scindendam, sed gradus utique hujus mali dari, secundum quos periculositas ejus major vel minor adhuc metiri possit, & primo quidem, ex ejusdem origine & prægressis causis; si enim levior hæc, mitius quoque de affectu ipso formandum judicium. Secundo, ex mali diuturnitate, quò enim recentius, eò mitius, & quò diuturnius, eò etiam curatu difficultius. Ter-tio, ex corporis ægræ firmo adhuc, vel jam debili habitu. Quarto & ultimo, ex symptomatibus conjunctis, prout ista graviora & plura, aut leviora ac parciora adsunt; si enim mitior illa, nec nimis accumulata appareant, eaque sensim remit-tant, & Mensium profluvium ordinarias vias repetere incipiat, Prognosis ad salutem erit formanda.

§. XVI. Postquam Suppressionis Mensium hactenus naturam & theoriam sufficienter, ut' puto, dedi perspectam, proximum nunc erit, ut ad medendi methodum accedam, scil. quomodo secundum illam aptis remedii tolli Suppressione possit. Hæc au-tem sicuti *Indicationibus* nititur, ita hasce à Causis desumere jubet. Hinc sanguis, ubi copiâ peccat, & in corpore cu-mulatus, vasisque impactus fuerit, imminuendus erit, & ad uterum revocandus. Ubi deficit, restaurandus. Viscidior, crassior, grumescens, aut alio modo corruptus, competentibus alterantibus, attenuantibus, incidentibus & aperientibus, mi-tigandus, corrigendus atque præparandus, postmodumque per vias convenientes justo cum moderamine evacuandus. Uteri, & vasorum circa ostia indispositiones, quoad fieri potest, tol-lendæ; sicque obstructionibus in canalibus apertis, Specificis sic dictis Enim enagogis evacuatio menstrualis tentanda, demum-que Causarum generatio ulterior legitimâ victus ratione omni studio præcavenda. Hisce nunc scopis ex arte adimplendis, aptam ut nasciscamur præsidiorum materiam, triplicem illum, & tūm Medicis, tūm ægris proprium & salutarem fontem;

Cbi-

Chirurgicum scil. Pharmaceuticum & Dieteticum adeamus, necesse est.

Recludendus igitur primo loco erit *fons Chirurgicus*, ut appearat, quid salutiferi ex hoc ipso ad ægras hoc effectu affectas, redundare possit; ubi in ipso statim limine plurimum se commendat heroicum illud, & per quam plurima secula celebratum remedium V. S. quotiescumque scil. abundantior, & ægræ corpus gravans sanguis, dolorque hinc lumborum gravatus, suffocationis metus, similiaque symptomata, tentandam sui immunitationem, vel derivationem aut revulsionem indicaverint, illamque tempestivè properatam exposcant. Tali igitur in casu commodè hæc ipsa institui in brachio poterit, & quidem in mediâ mensis periodo, insuper vero etiam, instantे tempore mensium, h. e. duobus vel tribus diebus ante novilunium, in pede, & quidem in ejus tali reperibili Saphena: ita enim sublevato & revulso sanguinis pondere, arctatis vasorum osculis, fibrisque mole istâ hactenus obrutis, veterem tonum redditurum esse, nullum erit dubium. Non solum autem exuperanti sangui- ni, sed & Cachexia & humoribus vitiosis inservire videtur, hoc tamen cum moderamine, ut adornetur, si menses non ad eo diu obstructi, nec vires fractæ & exhaustæ jamjam fuerint. Non infeliciorem successum Galen. Heurn. aliique promittunt ab ejus vicariis Cucurbitulis, suris applicatis, ut & frictionibus ac ligaturis femorum & crurum asperioribus, languido scil. corpore V. S. aspernante.

§. XVII. Exhausto sic ex parte priori, alterum nunc, *Pharmaceuticum* nempe accedamus fontem, quem non minus salutiter fluere deprehendemus, si modo Causarum, hincque defumendarum indicationum varietatem exactè ponderavimus. Accuratè inquam, Causarum varietatem hic esse explorandam, accedit enim quandoque, uti in superioribus vidimus, quod ipsius fluidi jactura, corporisque extenuatio, sit sola hujus retentio- nis remora: tantum enim tunc abest, ut hæc distinctione ne- glecta, salutare ex hoc ipso poculum subjecto malè habenti propinare, & felicem in illo Mensium provocationem moliri possumus: quin potius intempestivè emmenagogis medicamentis ad inconsuetum & inutile opus naturam cogamus, & imprudenti ejusmo-

ejusmodi sollicitudine naturæ quietem, & corpori sanguinem invidentes, ægras nostras putatias in altam ærumnarum atque ægritudinum, nisi quandoque mortis foveam præcipitemus. Tali potius in casu, fons hic cum priori omnino erit claudendus, corporique per viatum euchymum pro sanguinis generatione primariò consulendum, apertis tantum simul in hoc fonte quibusdam rivulis relictis, per quos fluere medicamenta analistica ad corpus languidum, pro virium restauratione, possint; quo facto, natura sponte suâ sèpius ad officium redit. Recludi autem fons, circa quem adhuc hæremus, tutò iterum poterit, si sanguinis vitiola qualitas, aut Cachexia adfuerit, (nihil refert, sive illam ut Causam, sive ut productum consideremus) in quam ejusdem rivuli partim alterantia & aperientia, partim Evacuantia tum diffundunt. Si igitur suspicemur viscositatem aliquam, aut abundantiam humorum gelatinosorum, primaria nostra Cura esto, glutinosam hanc diathesin resolvere, motum ipsi procurare, vias aperire, & vasa, tum viscerum insimi ventris reliqua, tum imprimis uteri, ab infarctu illo liberare: hoc ipsum autem commodè fieri poterit, præter aquæ & diluentia, non satis hic laudanda, jam nominatis alterantibus & aperientibus, ex quorum ingenti farragine potiora hic adduxisse satis sit. Simplicium igitur Vegetabilium classem, quorum alia amarorum, alia aromaticorum nomine veniunt, maximè ex radicibus exornant: *Rad. gentian. galang. imperator. Zedoar. angelic. ari, acri, aristol. ror. vincetox. bryon. armorac. s. aperientes.* Ex herbis primas tenent; *Artemis. rubr. & alb. melis. hepat. nob. abrot. fumar. Cent. min. Card. bened. absinth. men. h. rut. hyssop. capill. Vener. Calaminth. Sabin. puleg. &c.* Ex floribus, *flor. Calend. Sambuc. cheiri, Spic. foechad. arab.* Ex lignis, *juniperin. guajac. aloës, coft. sassafr. &c;* quæ materiam pro Decoctis aut Infusis satis aptam & laudabilem præbent. Quibus substitui etiam poterunt alia, ex his præparata aut aliunde ex diversis regnis accersita salina, qualia sunt: *Efsent. absynth. simpl. & compos. fumar. lignor. Elix. propr. simpl. & antiscorb. Spirit. cochlear. Sal. tatar. crem. & crystall. tartar. tartar. vitriolat. arcan. duplicat. sal armoria. depurat. sal. absynth. Cent. min. similiaque à Practicis ubertim collecta:* his si

judiciorē jungantur quædam ex Emmenagogis, non solum humorum crassitiem attenuabunt, sed commorantes etiam ni-
mum menstruas purgationes quandoque commovebunt. Quod autem si non dederint effectum, correcti quodammodo, &
ad exitum dispositi restagnentes viscosi humores è corpore sunt
eliminandi, tum *Vomitoris* tum *Purgantibus*, quæ perquam
auxiliares in hoc nobis præbere etiam solent manus; appara-
tum, brevitati studens, apponere hic supersedeo, cum ille
apud Practicos extet amplissimus, v. g. *Sennert. Barbett. Deck.*
aliosque. De purgantibus tamen adhuc notetur, majori cum
fructu hæc ipsa usurpari, si cum ante dictis aperientibus, tum
cum aliis tartareis, salinis, uterinis, martialibus, & qui omnium
maximè serum glutinosum ac viscidum liquat, ac evacuat,
mercurio dulci maritentur. *Clysmata emollientia, laxantia, ape-*
rientia minimè hic volo exclusa, utpote quorum usum felix
Practicorum inventio comprobat.

Crassities sanguinis ex seri defœtu, non adeò prolixam ex-
poscit curandi materiam, sola enim *aqua* & *humectantia* præ-
sentissimum hic remedium, cum quibus ipsi thesaurus iterum
& aptitudo transeundi angustias illas accedit. Cavendum igit-
tur, ne ægras pellentibus hic iterum ad internecionem fatige-
mus. Haud contempnendi etiam usus sunt hæc aquæ, sive sint
simplicia & ex fonte domestico, sive è thermis petita, ubi ex
abusu acidorum in coagulum abiit M. S. accommodatius enim
menstruum his salibus adinvenire non licebit: locum tamen hic
etiam habent omnis generis terrea absorbentia, ut *C. C. usq. Ebur.*
usq. Corall. ocul. Cancr. mater perlar. conch. cret. &c. Inprimis ve-
ro *martialia*, ut *limat. Martis*, in substantia, & omnia ex illo
parata; item *alcalina*, tam fixa quam volatile, quæ omnia tum
particulis acutis penetrantibus volatileibus, motum humoribus
fixis iterum procurant, & vias ac poros ab aluminoso succo
contractos aperiunt; tum fixis terrestribus, coaguli, humoris
figentis, causam, particulas acidas, ponticas, absorbant, im-
bibunt, & humoris adeò edulcorant, ut promptè ire ac redire,
circulari & excerni queant. Coagulationem quandoque etiam
à causa externâ pati M. S. ex superioribus notum, hæc ut rur-
sum corrigatur, præter *phlebotomiam* in cruribus celebrandam

ad resolventia & diaphoretica erit confugendum, materiam dabant seqq. mandib. luc. piso. lap. cancr. sangu. hirc. dens hyppopot. sperm. Cet. antimon. diaphoret. s. & maritale, pulv. marchion. specif. Cephal. D. Mich. sal. volat. viperar. fuccin. C. C. Spirit. sal. armoniac. liqu. C. C. succinat. Tinct. bezoard. &c.

§. XIIIX. Præmissis sic iis, quæ necessaria ad alterandum sanguinem, diversimodè vitiatum, videbantur, addenda denique erunt illa appropriata medicamenta, quæ legitimum orgasmum sanguini restituunt, Emmenagoga communiter audiunt, suntque hujus generis oleosa volatilia varia. *Cinamom. Cardamom. Caryoph. Galang. Zedoar. cass. lign. rut. rosmarin. puleg. sabin. antophyll. bacc. laur. Croc. myrrh. camph. succin. galban. oppopon. sagapen. gumm. ammoniac. borrax. Castor.* Quibus effectu respondent varia alia, & quæ ex his in officinis prostant parata, ut *Eßent. croc. myrrh. Elix. niterin. Ludovic. Croll. Elix. propriet. s. acido. Spirit. sal. armoniac. Eßent. Castor. Tinct. tartar. compos. aloëtica Timai. Tinct. antimon. spirit. C. C. fuligin. secundin. Ol. succin. rut. Sabin. origan. angelic. Cinamon. caryoph. cort. aurant. trochisc. de myrrba, spec. diaborrac. Myns.* similiaque aliaque variè miscenda. Hisce, non neglectâ, ubi opus fuerit, V. S., ritè usurpati, nullum dubium, quin sanguis majori è *repyctea* acquisitâ, promptius clausa vasorum oscula perrumpat, exitumque inventiar. Annotatas ab Auctoribus formulas repetere hic nolo, cum futuro judicio Prætico facile sit has ipsas pro circumstantiarum & indicantium ratione parare, qui & dosin & tempus propinandi facillimè etiam adjudicabit. At vero quandoque etiam accidit, ut omnis molitus frustra sit, & postquam fortissimis, durissimisque remediis certatum, quæ errantem revocent sanguinem, nihil aliud, quam vana & dolorifica, tūm in lumbis, tūm capite, fermentatio relinquatur. Equidem illa sāpe est obstructionis contumacia, ut non temerè calidioribus & fermentativis remediis sollicitari se patiatur, externorum emollientium, blandorumque medicaminum beneficium exspectans; præprimis si in utero mora, aut indispositiones quædam circa vasorum ostia fuerint. Laudantur hoc sine à Præticis *Fotus & Balnea* ex Emollientibus parata, præcipue si repetitis ex ordine vicibus instituantur, eorumque vapor speci-

20 DISPUTATIO MEDICA INAUGUR.

ficis uterinis & menagogis animetur. Parem cum balneis effe-
ctum præstare *Suffusus* & *Vapores* scribunt, ex *bdellio*, *myrra*,
succin. ir. *caryoph.* *aromar.* *mac.* *bacc.* *laur.* *junip.* *sem.* *nigell.* *fol.*
fabin. *parati*, & ad uterum per tritorium vel tubulos uteri-
nos derivati; quo spectat *Suffumigium Timaeanum* ex *colocynthi-*
de, it. *Hartmannianum* ex *scor.* *regul.* *animon.* Frustra tamen
quandoque etiam generoso hoc apparatu pugnatur, ubi scil.
Mensum egressus, à membranā aliquā, antrum hoc occluden-
te, impeditur, uti in atretis, & quæ à vulnero aut ulcere co-
litionem vaginæ patiuntur, sed omnem medelæ spem ægra tum,
à peritâ Chirurgi, in secando, manu exspectet, necessum est.

Epist. 51.
lib. 2.

§. XIX. Restat, ut ex fonte *Diaterico* legitimam victus rationem
hauriamus, ut viribus prospiciatur non modo, verum nova etiam
causarum generatio præcaveatur. Victus enim ratione neglecta vel
perperam instituta, reliqua Medicinæ præscripta, teste *Williso*,
parum aut nihil versus sanitatem proficiunt. Opposita autem
hæc ipsa sit merbisicis causis, necessum est. Vitetur itaque *Aér*
frigidus, *palustris* & *nebulosus*, eligaturque purus & temperatus.
Exulet *Tractatio aquarum*, in primis frigidarum. Cibi sint *comestio*,
parum excrementi post se relinquentes; fugiantur alimenta crassum
sanguinem generantia, ut sumo indurata, *laeticinia*, fructus hora-
rii. *Potus* sit cerevisia benè desecata, calidior, ut & vinum mode-
rately sumptum, *monente Langio*. *Somni* & *Vigiliarum* moderamen-
omni studio observandum, alterutrum non sit immodicum; id
quod etiam de *Motu* & *Quietu* intelligendum. Assumptis *Excreta*
respondeant, quod cum sponte non fiat, alvus vel alimentis, vel
medicamentis officii memor reddatur. Animus tranquillus sit, &
meror, terror, metusque exulent, oportet, vel mediocritatis fre-
no, quoad licet, cohibeantur, gaudioque diluantur. Et sic DEO
summo Archiatro adjuvante, spes erit ægrotantibus de recuperan-
dâ conservandâque valetudine.

§. XX. Atque hæc de Suppressione sufficient, DEO ergo T.
O. M. à quo hujus conatus mei cepi primordia, in fine quoque
consociatis suspiriis, pro concessis viribus, immortales rependo
grates. Ille ulterius conatus meis quibusvis divinâ benedictione
vigorem addat, ut in primis Ejus honor, proximique commo-
dum perpetuus illorum sit

F I N I S.